

vicem causas secundum omnem combinationem causarum, sed efficiens et finis sunt ad invicem causæ, finis quidem movendo in intentione, efficiens autem exequendo in exercitio. Similiter materia et forma inter se sunt causæ, quia componunt totum, materia recipiendo formam, et forma actuando materiam. Secundum alias vero combinationes non oportet, quod causæ ad invicem sint causæ.

Hinc ergo sumitur fundamentum hujus sententiæ, quia etiam materia et forma sunt causæ, quæ mutuo dependent realiter inter se, ergo mutuo se causant etiam realiter. Consequentia patet, quia hæc dependentia est unius ab alio, ut a principio, a quo habet esse talis causa, ergo est vera causalitas. Antecedens constat, quia materia dependet a forma ut sit, et forma a materia ut existat, vel saltem ut informet, neque enim materia et forma separata, excepta anima rationali, possunt manere in esse saltem naturaliter, ergo saltem naturaliter dependent in esse. Neque ad realitatem talium causarum requiritur, quod præcedat existentia in unaquaque earum, sed sufficit concomitanter habere esse, quia in renunquam datur instans, in quo sit materia sine forma, quod sufficit ut in rei ipsa causalitas sit realis, licet non pro omni habitudine, et consideratione præcedat esse, ut supra quaest. III et VII sæpius diximus, et iterum quaestione XI dicemus. Unde non sequitur illud inconveniens sicut in causa efficiendi respectu sui effectus, quia efficiens requirit existentiam in ipso efficiendi ut *quod*; unde si hæc rursus causaretur ab effectu, præsuponeretur ante effectum; et non præsupponeretur. At vero materia, et forma non causant ad invicem præsupponendo suas existentias, nisi tantum ut *quo*, et in hoc non

causantur ad invicem, quia nec materia habet a forma rationem potentialitatis receptivæ, nec forma a materia rationem actualitatis informantis, quæ sunt principia *quo* existendi, et per conjunctionem causant esse totius, in cujus communicatione ipsa materia et forma habent esse, et sic ad invicem se causant in esse, causando in se communicationem, unde resultat illud esse. In materia autem susceptiva accidentis, quia supponitur subjectum existens ut *quod*, quia est subsistens et substans ipsi accidenti, tale esse non causatur a forma accidentali, sed causatur aliud esse secundum quid, et accidentale, v. g. esse album vel calidum, et secundum illud dependet subjectum a forma accidentaliter secundum quid. In sententia autem P. Suarez quod forma solum causat conditionem, ut materia existat, et tamen admittendo, quod materia et forma ut causent, requirunt existentiam, non effugitur difficultas, quia si forma causat conditionem, ut existat materia, ergo ante talem conditionem materia non causat, quia non existit, et sic non poterit causare formam, neque forma materiam, quia idem est inconveniens in præsupponendo conditionem, atque in causando et præsupponendo ipsammet existentiam, siquidem sine illa conditione non existit.

Ad rationes dubitandi a principio positas, respondetur ad primam negatur sequela. Et ad probationem respondetur illud axioma causa causæ est causa causati, intelligi de causato formaliter secundum id quod causatum est, non secundum id quod causatum non est ab alio, sicut intelligitur a D. Thoma pluribus locis, præsertim I-II, q. LXXIX, art. I ad I, et q. III de Malo, art. I ad 4. Ita que requiritur quod inter causas sit continuatio, et series ea-

dem causalitatum, ita quod in eo quod posterior causa causat, dependeat a priori, et continetur cum illa; si vero discontinuet ordinem causalitatis cum priori causa, ita quod in quantum causat, non causetur ab altera, vel non subordinetur illi, non verificatur illud axioma sicut patet, quod Deus est causa hominis, et homo est causa peccati, non tamen Deus est causa peccati, quia homo causatus a Deo subtrahit se ab ordine causalitatis Divinæ in peccando. Atque ita quando dicitur causa causæ est causa causati, distinguo: quando est causa causæ præcise in essendo sine continuatione, aut coordinatione ad causalitatem ejus, nego; si habet coordinationem aliquam, vel impressionem, aut influxum in causalitatem ejus, sive in rationem causandi, transeat; sed hoc modo non se habent materia et forma, quia forma licet det esse materiæ, non tamen illi dat ipsam potentialitatem, vel rationem recipiendi, aut modum causandi proprium materiæ, nec e contra.

Sed instabis: Ergo non repugnat in eodem genere causæ effectum esse causam efficientis, si producat in sua causa efficiente aliquid distinctum ab esse ipsius causæ. Secundo, ergo pater producat filium non erit causa nepotis, quia non influit in causalitatem filii erga nepotem. Tertio, finis causabit se ipsum, quoad executionem, quia movet efficiens quoad causalitatem ut assequatur se. Respondetur ad primum non esse inconveniens quod inferatur, ut supra diximus, dummodo non in eodem tempore, nec secundum idem efficiens et effectus causent in se mutuo; quid enim repugnat, quod filius productus a patre aliquid producat in patre, puta sanitatem aut calorem aut quid simile? Tunc enim primum efficiens respectu sui effectus se habet ut subjectum, sicut

etiam in omni reactione agens reparatur a passo. Ad secundam instantiam dicitur, quod pater licet non moveat filium ad generandum, dat tamen ei virtutem, qua generet, vel dare debet, et sic continuatur causalitati ejus. Ad tertiam instantiam dicitur, quod finis in intentione est causa sui in executione, quia supponitur habere diversum esse, et diversum statum in intentione et executione, et sic non est inconveniens quod secundum unum esse causet aliud.

Ad id quod in argumento a principio afferebatur de causa applicante, et de patre producente filium, et per illum nepotem, et de Deo movente per propositionem objectivam respondetur, omnia hæc causare movendo ad causalitatem causæ, aut dando virtutem, qua causet in suo genere et ordine, non vero præcise dando esse, sicut materia et forma; et ideo licet ibi sit diversus ordo causæ, tamen causa causæ, quia movet illam ad causandum, est causa causati.

Ad secundum fundamentum respondetur ex his quæ diximus in libris Post. qu. XXV, quod non omnis circulus est vitiosus, sed tantum formalis, scilicet quando sub eadem ratione proceditur ab effectu ad causam, et a causa ad effectus. Cæterum si illud quod est effectus, sive causatum, secundum aliam rationem possit influere in suam causam, et non secundum id quod accipit ab illa, sic non committitur circulus formalis, sed materialis, qui vitiosus non est, et illo Philosophus sæpe est usus, ut ibi ostendimus.

ARTICULUS V.

Utrum a duplici causa totali possit dependere idem effectus, vel duae formae eandem materiam informare?

Sensus difficultatis procedit de dependentia ejusdem effectus a pluribus causis totalibus, adaequatis, ejusdem generis, et non subordinatis inter se. Dicuntur *causae totales* quando habent totam et sufficientem virtutem, quasi in actu primo. Dicuntur *adaequatae* quando in actu secundo, et non solum in actu primo ad totum effectum producendum se adaequant, nam si plures causae de se quidem sint sufficientes ad totum effectum producendum, sed de facto uniantur quasi partialiter ad aliquem effectum producendum, erunt quidem causae totales in actu primo, sed non adaequantes se effectui in actu secundo. Dicuntur *causae ejusdem generis*, quia de causis diversi generis nulla est difficultas, constat enim omnes quatuor causas inveniri in aliquo effectui; sed difficultas est de pluribus ejusdem generis, verbi gratia de duplici causa efficienti, vel formali, respectu ejusdem effectus. Dicuntur causae *non subordinatae* ad excludendum causas subordinatas, quas certum est ad eundem effectum posse concurrere, sicut causa prima et secunda, caelum, et elementum.

Potest autem in duplici sensu haec difficultas controversi. Primo, an possit idem effectus numero dependere a duplici causa totali simul et in actu secundo concurrente ad ipsum, qui est praecipuus sensus hujus difficultatis. Secundo, utrum possit idem numero effectus dependere a duplici causa totali divisive, quod est idem atque contineri eundem effectum in individuo intra

sphaeram duplicis causae totalis; ita quod sicut producit de facto ab ista, ita posset altera produci sub eadem individuatione. Et procedit questio de potentia absoluta Dei, quia naturaliter communis sensus philosophorum est, non posse eundem effectum a duplici causa totali pendere, licet aliqui id affirmaverint, sed immerito, quia ad minus superfluum est duas causas totales ponere ad eundem effectum, cum altera sufficiat; natura autem horret superfluitatem; praeterquam quod rationes, quae afferuntur ad probandum, quod nec divinitus sit possibile, etiam probant, quod nec naturaliter.

Duae ergo sunt principales sententiae in hac parte. Prima negat posse eundem effectum etiam de potentia absoluta dependere a duplici causa totali, pro qua communiter citantur Thomista, Capreolus Ferrariensis, Cajetanus ad III p. q. LXVII, art. VI, ubi tamen loqui videtur secundum ordinem naturae, de potentia vero absoluta non id negat I p. q. LII, art. III. Videantur etiam Carmelitani hic disp. XV, quest. III, et disp. IV, q. VI. Sequitur etiam P. Vazquez tom. I in tertiam partem, disp. XXIX, cap. IV; Cabero hic tract. II, disp. VII, dub. II, quamvis non aequie censet de causis materialibus et formalibus. Altera sententia opposita affirmat, quam sequitur Pater Suarez disp. XXVI Metaphys. sect. IV; Fonseca v Metaphys. cap. II, quest. XV, sect. I; Rubius et alii, idemque tenent de formis substantialibus ad informandam duplicem materiam idem Pater Suarez disp. XV Metaph. sect. X, n. LX, et Fonseca v Met. cap. IV, qu. IV, sect. II, et alii.

Utraque sententia principaliter nititur eidem fundamento opposito modo; prima assignando implicationem, secunda destruendo. Assigna-

tur autem implicatio, tum ex parte causae, quia stante totalitate causae in actu secundo ad eundem effectum, si ab alia produceretur, utraque esset causa totalis in actu et non esset, contineret et non contineret effectum, quia producendo totaliter, esset causa totalis, et relinquendo locum causalitati alterius causae non esset totalis: tum ex parte operationis, quia esset duplex operatio, et non duplex; duplex quia a duplici principio totali emanaret; non duplex, quia terminaretur ad eundem effectum: tum denique est implicatio ex parte effectus, quia idem effectus per se dependeret, et non dependeret ab aliqua causa. Per se dependeret, quia utraque causa est aequalis in virtute producendi, et eandem habitudinem habet ad effectum, ut supponimus; et ita si una est causa per se, etiam et alia; non dependeret per se, quia non habet per se connexionem cum altera, siquidem etiam illa remota aequie bene produceretur ab alia, quia totalis est. Specialiter autem una materia non potest pendere e duplici forma substantiali, quia quaelibet forma substantialis essentialiter habet annexam privationem alterius, quia cum sit substantialis, debet esse prima et sola in materia ut det esse substantiale, quod est esse simpliciter, non supponens aliud prius. Opposita autem sententia nititur in solutione istarum implicationum, quod etiam aliquibus exemplis illustrat, sicut verbi gratia, quod idem corpus Christi existat ut generatum in caelo, et transubstantiatum in Sacramento, idem corpus potest esse in diversis locis, eadem humanitas assumi a duobus Personis Divinis; idem lumen produci a duobus luminosis penetratis in eodem loco et utroque habente eandem lucem ut octo; et alia similia multiplicantur, de quibus infra.

De mente S. Thomae non facile judicari potest, cum raro doctor hujusmodi quaestiones de potentia absoluta Dei disputet, et loca, quae circa hoc afferuntur, procedunt secundum ordinem naturae sicut ubi negat plures Angelos posse esse in eodem loco, quia ejusdem rei non possunt esse plures causae completae, ut I p. q. LII, art. III, et q. III de Potent. art. VII ad II et in I, dist. XXXVII, qu. III, art. III, nam praeterquam quod magis loquitur in istis locis de unitate operationis, quod non possit esse a pluribus causis totalibus, quam de unitate effectus, ut loquimur in praesenti, adhuc tamen in rei veritate non loquimur ibi de impossibilitate in ordine ad divinam omnipotentiam, sed solum id esse impossibile probat per inductionem in omni genere causarum, quae inductione non respicit potentiam absolutam, sed id quod ex nostra experientia potest deduci.

Pro resolutione ergo dico PRIMO: Idem effectus numero divisive continetur sub duplici causa effectiva totali, altera creata, altera increata, sub duplici autem creata effectiva non potest contineri. Prima pars hujus conclusionis a nullo potest negari, constat enim per divinam potentiam posse reproduci idem numero, quod desierat, ut patet in resurrectione hominum, ergo idem effectus numero, qui fit a causa creata, continetur adaequate et totaliter in increata. Et ratio hujus est, quia tam divina virtus, quam divina actio sunt infinitae in Deo, et possunt eandem rem diversis viis attingere, sicut potest hominem producere creatione, transubstantiatione, formatione sicut formavit Adam, et hoc totum non diversa actione limitata ad diversum terminum sed unica, quae sua virtute infinita continet omnem effectum causae creatae, tam quoad speciem, quam quoad individuationem.

nem, quia etiam secundum individuationem dependet a Deo, qui potest sine causa creata producere totum, quod cum illa, nam quidquid producit causa creata totum participat a Deo; ergo idem effectus numero, qui continetur in causa creata, totaliter etiam continetur in Deo, et potest sine causa creata illum producere.

Secunda pars conclusionis est contra Scotum in II, dist. XX, q. II et contra Patrem Suarez, disp. XXVI Met. sect. V, et alios. Sed sumitur ex D. Thoma quodlib. V, art. VIII et quodlib. III, art. XXV, dicente: « Quod cum in generatione hominis sicut aliorum animalium semen patris sit agens, materia vero a matre ministrata sit sicut pater, ex quo corpus humanum formantur, impossibile est ejusdem filium nasci, sive sit alius pater sive sit alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive aliud corpus sigilli, ex cujus impressione cera sigillatur. » Ubi pondero D. Thomam non solum affirmare quod variatur effectus numerice variato principio materiali, ut in sigillo variata cera, et in generatione hominis variato principio, quod mater ministrat, sed etiam solo agente variato, ut patet in illis verbis: « Sive sit alius pater, sive alia mater, sive alia cera, sive aliud corpus sigilli. » Ex quacunque ergo parte varietur actio, non potest idem effectus numero prodire. Ratio ac fundamentum hujus est ex limitatione, et pluralitate actionis creatæ, unaquæque enim actio limitatur ad suum terminum, et ad suum principium, a quo emanat, ita quod actio, quæ semel emanat ab uno agente eadem non potest emanare ab alio, et actio quæ semel terminatur ad unum terminum numero non potest terminari ad alium numero, eo quod

actio illa egrediens ab agente identificatur cum suo termino, et non potest identificari cum alia adequato, propter sui limitationem, ergo implicat quod idem numero effectus contineatur sub duplici causa totali.

Consequentia patet, quia ut idem effectus contineretur sub duplici causa deberet contineri actio unius, et effectus ejus sub actione alterius, quia ratio numerica effectus dependet ab individuali actione, a qua procedit. Si autem alia distincta actione limitata procedit, hoc ipso fit diversus effectus numero, quia unaquæque actio limitata transit cum suo effectu, et identificatur cum illo, et in hoc stat ejus limitatio; ergo hoc ipso quod una causa creata diversa actione producit, quæ ob sui limitationem non continet totum, quod est in alia, non potest eundem numero effectum producere.

Sed instabis dupliciter: Primo, in actione divina; potest enim idem numero effectus diversa actione attingi, v. g. creatione, transubstantiatione, generatione, etc. potest etiam attingi actione agentis creati, et increati, ergo non valet illa consequentia, quod si actio non est eadem numero, neque effectu. Secundo instatur: Quia bene potest virtus inferior contineri eminentiori modo in causa universali; ergo etiam actio inferior poterit contineri in actione eminentiori causæ superioris; ergo poterit efficere eundem effectum numero, quem actio causæ inferioris, siquidem ex identitate actionis dependet identitas effectus, et propterea Deus potest efficere eundem effectum numero, quem causa creata, quia continet eminenter eandem actionem numero, quam causa creata.

Ad primam instantiam respondetur actionem divinam esse illimitatam, et infinitam, et unam numero

ex parte ipsius agentis ad omnes effectus. Unde cum ejus unitas numerica non dependeat ex unitate effectus, potest et diversos effectus producere, et eundem diversis modis, ut generatione, creatione, re- productione, etc. Et similiter poterit se solo producere eundem numero effectum, quem causa creata, quia tota ratio actionis creatæ, tam specificæ, quam individualis participatur ab actione Dei, et consequenter potest in eundem effectum, tam specificæ, quam individualiter.

Ad secundam vero instantiam dicitur, quod aliæ causæ universales creatæ cum limitatæ sint, non possunt continere in sua eminentia totam virtutem, et actionem causæ inferioris, tam specificæ, quam individualiter, eo quod non participatur a causa creata quantumcunque superiore tota ratio, tam specificæ, quam individualis causæ inferioris, sive quoad virtutem, sive quoad operationem, ratio enim individualis sumitur a materia cum ordine ad circumstantias, et accidentia, et hanc non causat causa creata, et ideo si causa universalis creata operetur se sola, ejus operatio non poterit attingere eundem numero effectum, quem causa inferior, quia est limitata, et identificata cum effectu: unde ubi est alia operatio individua, ejus individuatio ita est limitata, quod ab ipsa non derivatur individuatio inferioris actionis, alium etiam effectum numero distinctum postulat, non minus quam actio alterius causæ particularis. Hoc tamen non tollit, quod idem effectus numero possit diversis instrumentis produci, verbi gratia, si hoc animal occidatur a Petro, vel Joanne, idem cadaver fiet, quia occidens non est causa principalis cadaveris, cum tantum faciat motum localem ferri, vel laquei ut occidat, cœlum

vero formam cadaveris in hac materia producit.

DICO SECUNDO: Non potest eadem materia numero informari duplici forma substantiali, nec naturaliter, nec de potentia absoluta. Quod naturaliter repugnet, satis indicatur ex ipsa generatione et corruptione; videmus enim generationem unius esse corruptionem alterius, nec aliter generari, seu educi unam formam, nisi aliam corrumpendo quod evidentissimum judicium est, habere inter se incompatibilitatem, præterquam quod ex diversis formis, etiam ejusdem speciei solent sequi accidentia incompatibilia, ut diversæ figuræ inclinationes oppositæ, et accidentia omnino diversa, quæ non possunt compati in eadem materia, ergo neque formæ substantiales, quæ talium oppositorum accidentium sunt principia.

Ex his autem assurgimus ad considerandum rationem a priori, et causam hujus incompatibilitatis, quia in ipsis formis substantialibus sumitur tum ex eo quod substantiales sunt, tum ex eo quod tales, puta diversæ speciei, vel individuationis. Ex eo enim quod substantiales formæ sunt, habent de suo intrinseco conceptu, quod præbeant primum esse, non supponendo aliud prius in subjecto, alioquin non esset substantiale, id est, esse simpliciter, et sub aliis existens: quacunque ergo forma unitur materiæ supponendo aliam, vel simul cum alia, quæ dat esse materiæ, non unitur substantialiter, id est, dando primum esse, et simpliciter esse, et sic ut substantialiter uniatur, debet expellere aliam formam: et cum hoc sit de intrinseco et essentiali conceptu formæ substantialis, quatenus substantialis est, necessario debet expellere aliam formam, et fundare privationem illius, hoc ipso quod constituat esse substantiale. Ex eo vero quod tales

formæ sunt, v. g. specificæ, vel individualiter distinctæ, sunt etiam incompatibiles in eadem materia, quia ordinantur ad constituendum diversas essentias diversitate specificæ, vel individuali, in quorum essentiali conceptu intrat tam materia, quam forma. Si ergo ponuntur duæ formæ substantiales in eadem materia vel resultant distinctæ naturæ seu composita, vel non. Si non resultant, erit tantum unum compositum, ergo et una natura, quod tamen est impossibile, cum habeat plures formas, quæ sunt principia diversarum naturarum, et distinctæ speciei. Si vero resultant duæ naturæ seu composita substantialia, obstat unitas materiæ, quia materia est intrinseca et essentialis pars compositi substantialis, ergo si est eadem materia in utroque composito, non sunt simpliciter diversa, quia non ex omni parte, una enim pars est illis communis.

Dices: Non repugnat, quod materia recipiat duas formas, ita impermixte et distincte, sicut in diversis materiis, nam essentia formæ in eo sita est, ut constituat totum a cæteris distinctum quod non repugnat, etiam si materia sit informata alia forma, quia expulsio non est idem quod informatio, sed effectus ejus secundarius, stante ergo informatione unius, potest impediri expulsio alterius, sicut videmus fieri in formis contrariis, quæ possunt simul poni a Deo in eodem subjecto, etiam in gradibus intensis et sic non sequitur ex duplici forma esse, et non esse alterius, sed duo esse in eadem materia.

Sed hæc instantia non attingit vim implicationis positæ quæ non consistit in eo, quod quomodolibet constituatur totum, vel resultant duæ esse, sed quia componitur totum substantiale, et resultant duo esse substantialia; de intrinseco au-

tem conceptu esse substantiale est, quod sit primum esse, et simpliciter esse, et sic necessario involvit negationem, seu expulsionem alterius prioris esse, alias non esset primum, nec simpliciter esse. Unde licet expulsio sit effectus secundarius respectu informationis positivæ, est tamen necessario requisitus, ut illa informatio constituat primum esse, quod est substantiale, et multa magis ut constituat diversam naturam ab ea, qua constituit altera forma quia illa duæ naturæ, seu duo constituta, quæ ex illis formis resultant, essentialiter in suo conceptu includunt non solum formam, sed etiam materiam, et sic cum unitate materiæ, non stat diversitas substantialis totius, quæ est diversitas simpliciter, et ex omni parte.

DICO TERTIO: Etiam implicat unam formam substantialem acturare plures materias totales et adæquatas. Ratio est, quia illa forma non potest extendi ad informandum plures materias sine additione alicujus majoris virtutis, seu actualitatis, siquidem extenditur ad majorem effectum, et talis actualitas superaddita non potest esse diversæ speciei, sic enim tolleretur essentia formæ, et non esset eadem, quæ antea. Si vero superadditur illi actualitas intra eandem speciem, quam tamen ex sua natura non habebat, jam supposita illa actualitate comparatur tota materia, ad quam se potest extendere per modum unius, quia infra sphaeram talis formæ sic extense continetur, sicut videmus modo, quod una forma potest informare plus materiæ quam altera, et tamen totum illud comparatur per modum unius ad talem formam, et tanquam plures partes materiæ ab una forma informabiles. Et sic nunquam verificabitur quod una forma informet plures materias totales, quælibet enim materia in tantum

est una et totalis (licet crescat in partibus) in quantum informabilis ab una forma, ita quod contineatur intra sphaeram actualitatis unius formæ, ergo repugnat informare duas totales, id est, extra sphaeram suæ virtutis contentas. Nisi forte dicatur, quod duæ materiæ totales ponentur, hoc ipso quod sint inter se separate, et divisæ, et una forma informet illas, quod divinitus fieri potest, sicut si una albedo ponere in duobus lapidibus, licet ab uno tantum individuaretur. Cæterum hoc non constituit diversas materias totales, nam etiam respectu ejusdem materiæ totalis potest idem contingere, si diversas partes ejus separate et divisas eadem forma informaret divinitus, sicut unus Angelus duabus rebus inter se separatis inter suam sphaeram, potest esse præsens non existendo in medio, et tunc non diceretur esse in pluribus locis adæquatis et totalibus, licet esset res inter se separate. Quare totalitas materiæ non sumitur ex separatione et divisione ejus, sed ex coordinatione et continentia sub sphaera actualitatis ejusdem formæ. An vero possit ita fieri, quod eadem forma informet plures partes, vel materias divisas inter se dependet ex his quæ tractanda sunt de principio individuationis in libris de generatione. Eadem autem albedo si in diversis lapidibus poni potest, erit tanquam in subjectis inadæquatis, non totalibus.

DICO QUARTO: Repugnat dari duas causas finales adæquatas, et ultimas respectu ejusdem effectus finalitati. Dicitur ultimus finis simpliciter, qui subjicit sibi tam operationem, quam operantem. Si vero operationem quidem sibi subjicit, sed non operantem, quia manet de se et habet aliter ordinatur ad alterum finem, ut in peccante venialiter, non est tunc simpliciter ulti-

mus finis, sed solum est finis operis, operantis vero secundum quid, ut latius dici solet 1-11, q. 1 et q. LXXXVII. Loquendo ergo de fine ultimo simpliciter, repugnat duos ultimos fines eandem operationem finalizare, quia ipsa ratio ultimi simpliciter, et adæquate id impedit, est enim finis ultimus, cui omnia subjiciuntur, ergo non relinquuntur aliquid, quod subjiciatur alteri, sed hoc ipso quod proponitur alius finis ultimus, proponitur ut non subordinatus, nec subjectus alteri, ergo ut subtractus ab illo, et sic non omnia subjiciuntur illi, quod est rationem finis ultimi ei denegare.

Quod si dicas: Nam peccans mortaliter constituit se ultimum finem simpliciter, et tamen non subjicit sibi omnes alios fines; neque enim Deum sibi subjicit, sed a se abjicit, ergo stat bene quod aliquis habeat ultimum finem, et tamen non subjiciatur illi omnes alii fines, respondetur hoc esse per accidens, quod Deus non subjiciatur physice, quia incapax est talis subjectionis, subjicitur tamen moraliter et negative, quia hoc quod est abjicere Deum nesit finis ultimus operantis, est negative subjicere sibi, id est, infra se ponere, et contemnere Deum.

DICO ULTIMO: In causis efficientibus totalibus, et adæquatis probabilius est eundem effectum posse dependere a duplici causa totali, si altera sit increata, si vero utraque sit creata, probabilius est id implicare. Hæc conclusio conciliat utramque sententiam supra relata; et prior pars videtur manifestari ex multis supra allatis, referendo ipsas sententias, et maxime hoc servit ad declarationem, quomodo in mysterio Eucharistiæ illa conversio habeat terminum substantialem, scilicet Corpus Christi, secundum substantiam suam, non ut reproductum vel de novo pro-

ductum, denominatio enim producti supponit non esse, de quo fit transitus ad esse, denominatio vero reproducti supponit illud esse prius admissum et deinde restauratum, sed tamen ipsa substantia, ut pendens de novo ab alia actione, quæ de se totaliter erat productiva, et de facto convertit totum panem in corpus Christi, habet pro termino ipsum corpus non absolute, ex non esse, sed ex pane factum. Et præter solutionem implicationis oppositæ, quæ est præcipua ratio, quam pro ista sententia solvendo argumenta ponemus; a priori potest reddi ratio quia idem numero effectus continetur in virtute plurium actionum totalium, scilicet Dei se solo operantis, et creature cum Deo; ergo non est ratio cur ab illis simul dependere non possit, præsertim quia actio, qua Deus concurret cum creatura, et qua se solo concurreret, eadem est ex parte Dei. Consequentia patet, quia istæ actiones totales non se impediunt ad invicem propter eminentiam et infinitatem actionis increate, quæ totalitatem actionis create continet in se, et consequenter eundem effectum numero, quem causa creata producit. Et similiter non indiget Deus alia actione ex parte sui ad attingendum sub alio modo totali illum effectum, ab illa, qua concurret cum causa creata, ergo non se impediunt istæ actione ex parte agentis, ut simul attingat eundem effectum numero, neque ex parte effectus se impediunt quia est idem effectus utriusque actionis, et quod totaliter sit ab una, non obstat, quia est totalitas subordinata et participata a Divina, ergo, etc.

Sed dices: Persona Divina continet omnem totalitatem, quæ in persona creata ad terminandum naturam, et tamen non potest eadem natura simul terminari a persona

creata, et increata, ergo similiter non poterit idem effectus totaliter esse a causa creata et increata. Negatur consequentia, et est notanda disparitas, quia per se primo ratio actionis effectivæ non est ad excludendam formaliter aliam causam effectivam, sed ad dandum totum esse effectui; unde cum ejus propria habitudo et institutio non sit ad excludendum aliam causam, sed ad ponendum effectum, solum reduci- tur exclusio ad limitationem actionis, quæ non potest continere eundem numero effectum, quem alia actio limitata. Cæterum personalitas per se primo et formaliter instituta est ad reddendum naturam incommunicabilem ulteriori termino, non ad producendum effectivæ; unde si in subjecto invenitur talis terminus incommunicabilitatis, non compatitur simul alium terminum et personalitatem, et sicut duæ formæ substantiales repugnant, quia utraque dat primum esse, ita duæ personalitates, quia utraque dat ultimum terminum, licet quia persona Divina continet eminenter totam perfectionem personæ create possit loco illius subrogari, sed non simul conjungi: duæ tamen personæ Divinæ, quia talis conditionis sunt, quod una earum non excludit aliam a communione ejusdem naturæ, sed a communione ejusdem personæ, ut dicit S. Thomas III p. q. III, art. VI, eo quod tantum relative opponuntur, et sic solum in relatione ipsa incommunicabiles sunt, non in esse et natura, ideo simul in eadem natura assumpta esse possunt. Ex eo ergo, quod una causa eminenter continet aliam, potest facere idem quod altera, et quia continet eadem numero actionem eminenti modo potest etiam eundem numero effectum attingere, ex eo vero quod ejus formalitas non est ad exclusionem, et incommunicabilitatem,

tem, sed præcise ad efficiendum, non repugnat quod simul cum altera causa eundem effectum faciat.

El hinc manet probata secunda pars conclusionis, quia actiones create sunt limitatæ, et finitæ, et sic una non potest continere totam rationem et individuationem alterius, et sic semper habet diversum effectum et diversam actionem et fieri, quarum una non est altera eminentior. Et hic etiam currunt omnes implicationes supra allatæ pro ista parte, licet in quantum militare videntur etiam contra primam partem conclusionis, solvenda a nobis sunt.

Solvuntur argumenta.

Triplex implicatio supra posita fuit referendo primam sententiam. Prima, ex parte causæ. Secunda, ex parte actionis. Tertia, ex parte effectus. Ad primam respondetur non sequi, quod sint duæ causæ totales, et non totales in casu posito, sed utraque erit totalis ex parte causæ, et effectus producti, licet non totalitate modi producendi, quia non omni modo, quo una producit, producit altera, ut si autem causa totalis non requiritur quod omni modo, quo altera producat, sed totum quod altera, producat, quæ est solutio Cajetani I p. q. LI, supra cit. hæc sequitur quod altera causa nullum actum agit, sed idem novo modo, vel simul producendo si a principio utraque; causa applicetur: vel ad conservandum, si post productionem ei applicetur, et tunc non agit actum, sed conservat actum vel ad convertendum aliquid de novo in illud sicut in transubstantiatione, ibi enim formalis terminus est idem corpus Christi, non absolute, sed sub respectu conversionis explicatum, id est, corpus Christi, ut ex pa-

ne, ut docet S. Thomas III p. q. LXXVIII, art. V, ubi substantia est terminus, et non solum respectus, sed sub illo respectu.

Ad secundam implicationem constat ex dictis dandam esse duplicem actionem in casu quo duæ causæ totales agant, non quomodocunque, sed una eminenter continendo aliam sub omni ejus modo etiam individuali, et ideo potest extendi totaliter ad idem, ad quod alia: secus vero quando sunt duæ actiones limitatæ et finitæ, ut dictum est, unde non sequitur confusio actionum, sed continentia unius in alia totaliter propter eminentiam suam, et sic attingit eundem effectum, sed diverso modo eminentiori.

Ad tertiam implicationem, respondetur quod ille terminus *per se* est æquivocus, aliquando enim significat *per se*, id est, non per aliud, aliquando *per se*, id est, non continenter, sed per necessariam connexionem. Dicimus ergo, quod effectus potest procedere a duplici actione totali, primo modo *per se*, quia immediate continetur in virtute utriusque, non tamen illo secundo modo *per se*, quia non est per se requisita altera causa, ut detur effectus, sicut uterque; oculus videre potest unam et eandem rem, et per se videt, quia uterque continet in sua virtute objectum, non tamen necessario uterque oculus requiritur ad videndum, quia altero clauso, vel ablato potest idem objectum integre videri.

Quod si istes: Quia causa continet in sua virtute istum effectum ab alia productum; ergo habet per se connexionem cum illo, quia cum tota collectione sui objecti habet connexionem, sicut totum objectum cum ipsa potentia, et sic necessario requireretur talis causa, responderetur, hoc argumentum etiam procedere contra continentiam ejusdem effec-

tus specie in duplici causa, et non solum ejusdem effectus numero, cum tamen constet posse a diversis causa procedere effectus ejusdem speciei, ut calor procedit a cœlo, et ab igne; et tamen currit idem argumentum, quia si per se continet utraque causa calorem, utraque causa necessarie requiretur ad calorem. Respondetur ergo, quod causam per se continere effectum stat dupliciter uno modo persèitate ipsius causæ, quia hoc per se requiritur ad ejus virtutem et perfectionem, alio modo persèitate effectus, propter necessitatem ipsius in dependendo a tali causa. Primo modo dicitur utraque causa totalis per se continere effectum alterius, et sic potest effectus multis modis contineri in aliqua causa, imo quanto perfectior causa est, tanto pluribus modis continet effectum, nec tamen omnes modi necessarii sunt ad effectum. Secundo vero modo effectus non continetur in duplici causa totali, neque hoc requiritur, ut ab utraque causa possit dependere.

Ad exempla, quæ pro opposita sententia adstruenda adducta sunt, ad duo prima constat ex dictis, quia procedunt in duplici causa totali, altera increata, altera creata. Ad ultimum vero exemplum, quod procedit de duabus causis creatis, respondetur quod in illo casu, supposito quod illa luminosa sint æqualis perfectionis omni modo, ita quod neutrum possit alterum perficere, vel modificare; dico quod vel suam virtutem unient sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet erat sufficiens portare; licet enim agentia naturalia, non possint sic pro libito suam virtutem modificare, et continere; tamen quando duo agentia naturalia concurrunt simul, ne mutuo se impediunt in agendo, possunt ratione ipsius concursus mutuo se modificare, et in unam virtu-

tem conspirare in agendo. Vel secundo dico, quod in illo casu propter tam æquale impedimentum utriusque causæ æque perfecte concurrentis, circa idem subjectum mutuo se impediunt, ita quod utrumque cessabit ab agendo, quia non est capax materia recipiendi effectum utriusque, quia ut poniteas utrumque est luminosum ut octo; duæ autem luces in summo gradu non possunt in eadem parte subjecti recipi, saltem naturaliter.

Ex quo sequitur quod si sol producat lucem in aere, poterit Deus eandem numero conservare remotò sole, quia continet eminenter in sua virtute et actione illum effectum numero totaliter, non tamen poterit eadem numero lux conservari ab altero sole, tanquam a causa principali, quia producit diversa actione limitata, non continente totum effectum numero, et totaliter alterius solis.

Contra secundam conclusionem instari potest: Quia non repugnat duas formas recipi simul in eadem materia, neque ex parte materiae, neque ex parte formarum, neque ex parte unionis; ergo ex nulla parte. Non ex parte materiae, quia ipsa simul habet capacitatem omnium formarum, quæ non destruitur per receptionem unius; ergo bene poterit a Deo introduci alia forma conservata priori. Non ex parte formarum, quia non sunt immediate, et positive contrariæ sicut formæ accidentales. Quod autem ex una forma sequatur privatio alterius, non obstat, quia est effectus secundarius, qui potest impediri a Deo remanente primario, ut patet in quantitate, a qua tollit extensionem ad locum, quæ est effectus secundarius. Nec ex parte unionis, quia hæc non repugnat, si extrema non pugnant.

Respondetur repugnantiam plurium formarum in eadem materia

simul sumi ex eo quod dictum est, quia essentialiter formæ substantialis ordinantur ad constituendum esse substantiale, quod in tantum est substantiale, in quantum est primum et substans aliis; repugnat autem in aliqua materia inveniri duo esse æque prima, et consequenter æque substantialia. Et quia potentialitas materiae substantialis est, et ad substantiale esse ordinata, ideo non habet potentialitatem ad recipiendum plures formas substantiales simul, sed successive. Effectus autem secundarii non semper possunt impediri a Deo stante primario, præsertim quando sunt negativi, et intrinsece modificantes primum, sicut non potest impedire in homine negationem leonis, in fide vel opinione obscuritatem, et similiter in forma substantiali, quod non det primum esse et substans aliis, atque adeo, quod non supponat aliam formam priorem.

QUESTIO XI.

DE CAUSA MATERIALI, FORMALI, ET EXEMPLARI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit causa, et causalitas materialis?

Cujuslibet causæ consideratio consistit in quatuor, scilicet quid sit actus primus, seu constitutum talis causæ, et quibus conveniat. Secundo, quid sit actus secundus, seu causalitas. Tertio, quæ sit conditio requisita ad causandum. Quarto, quid sit ejus effectus, et causatum.

Circa primum, supponenda est definitio causæ materialis, tradita

a Philosopho in hoc libro, cap. II, quod *causa materialis est, ex qua fit aliquid, cum insit*. Quam definitionem explicamus sic, quod per illam distinguitur causa materialis a privatione, ex qua etiam fit aliquid, sed non tanquam ex eo, quod inest et permanet, sed quod non manet, neque est; transit enim privatio, et succedit forma. Cur autem definiat Philosophus materiam per id *ex quo aliquid fit*, non per id *in quo aliquid recipitur*? Ratio videtur esse, ut complectetur omnia ad quæ se extendit causalitas materiae, ex materia enim fit compositum, et fit forma, sed compositum non recipitur; forma vero recipitur. Unde per *ly fieri* completebatur formam et compositum, per *ly recipi* solam formam, quæ tamen ex eo quod fit ut *quo*, et non ut *quod*, recipitur. Quod si aliqua forma non fit ex materia, ut anima rationalis, tamen adhuc pertinet ad istam definitionem, quia licet non fiat, nec dependeat in esse a materia, dependet quoad statum tamen informandi et communicandi se materiae.

Hoc supposito dicimus, quod actus primus causandi materialiter potest inveniri. Primo, in materia prima respectu formæ. Secundo, in materia et forma unitis respectu totius. Tertio, in ipso toto respectu accidentium. Quarto, in uno accidenti respectu alterius, sicut quantitas respectu coloris, potentia cognoscitiva respectu cognitionis. Quinto, in dispositionibus respectu formarum ad quas disponunt. De materia respectu formæ constat ex supra dictis, questione tertia. Quod vero partes materialiter se habeant ad totum, quatenus trahuntur ad ejus esse ab eoque actuantur, docet pluribus locis S. Thomas ut in III part. qu. XC. artic. 1. par. 1. q. VII. art. III. ad 3. et quest. LXX. art. II. idque etiam explicat ex Philosopho